



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 99. Petrus de Luna a Synodo ad cedendum sollicitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. mittit, approbat, & collaudat, Post hæc
 A.C. 1415. Hymnus *Te Deum*: solemniter cantabatur.

§. XCVIII.

Gregorius Arimini Papatum exiit.

*Niem. apud
 Vander
 Hard tom. 2.
 pag. 440.*

*Naucter.
 gener. 48.
 p. 414.*

Quamprimum Gregorio Arimini in Constantiensi Synodo gesta innuere, Cardinales suos, omnesque Prælatos, & Curiaæ suæ Aulicos sibi adhuc dum adhærentes in Consistorium vocat, eisque Pontificali habitu ultima vice indutus declarat, approbare se, & laudare omnia, quæ a Carolo de Malatestis Procuratore suo in Constantiensi Concilio nomine suo acta fuissent. Tum vero tiaram, ceteraque Pontificalis dignitatis insignia deposuit, contestatus, se illis nullo unquam tempore usurum, sed contentum fore, ut primus fieret Cardinalis, ac perpetuus Marchiæ Anconitanæ Legatus, qualis etiam creatus fuerat per Decretum Concilii, in qua dignitate permansit usque ad mortem, quæ biennio post Recineti in Marchia Anconitana evenit.

§. XCIX.

Petrus de Luna a Synodo ad cedendum sollicitatus.

*Labbe Conc.
 to. 12. p. 119.*

Synodus generosam hujus Papæ abdicationem magnis celebrat laudibus, &

& Petrum de Luna ad hujus exempli i-
 mitationem, ac parem Papatus cessionem Sæcul. XV.
A.C. 1415.
 stimulat, adjecto decem dierum termino
 a præsentis monitione computando, si-
 mulque comminatur omnes poenas jam-
 jam incurfas, atque in sententia contra
 ipsum in Pisano Concilio lata expres-
 sas; si vero recusaverit, *Synodus illum ex
 nunc prout ex tunc declarat esse notorium
 schismaticum, antiqui schismatis nutrito-
 rem, incorrigibilem, pertinacem hæreticum,
 promissionum, votorum & juramentorum
 suorum transgressorem, & Ecclesiam Dei
 notorie scandalizantem, ac propterea omni
 honore & dignitate etiam Papali se reddi-
 disse indignum, ipsumque per sacros Cano-
 nes fore abjectum, & privatum in-
 hibendo eidem, ne se amplius pro Romano
 Pontifice gerere præsumat, & omnibus Chri-
 sti fidelibus etiam si Imperiali, Regali, Car-
 dinalatus, Pontificali, aut quavis Ecclesia-
 stica vel sæculari dignitate præfulgeant, ne
 eidem Petro aut ejus successoribus obe-
 diant.* Lecta hac sanctione omnes re-
 sponderunt: *Placet, & sic absoluta fuit
 Sessio, ad quam biduo post successit de-
 cima quinta, in qua celebris illa Joannis
 Hussi causa finita fuit.*

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. C.

*Imperatoris ad Joannem Hussum
Oratores.*

*Vander
Hardt to. 4.
p. 386.*

Die V. Julii Imperator ad Hussum misit quatuor Episcopos unacum Wenceslao de Duba, & Joanne Clumæo, qui ex illo sciscitarentur, utrum Articulos pro suis agnitos retractare, eosque, quos suos esse negaret, se non tenere, jurato asseverare velit? Quibus respondit, se suæ declarationi jam prima die Julii exhibitæ inhæsurum. Ergo e carcere trahitur Commissariis sistendus; in via cum Joanne Clumæo collocutus est, qui eundem monebat, ne, si cujusdam erroris conscius esset, retractare erubesceret, sin vero, potius omnia tormentorum genera sustineret, quam quicquam contra propriam suam conscientiam assereret, aut aliquid contra agnitam veritatem negaret. Ad quem Joannes Hussus dixit, se ex animo ac cum juramento retractare paratum esse, quamprimum ex sacris literis alicujus erroris convinci posset. Fere idem paulo post respondit, Prælati ipsum adhortantibus, ne privatas suas opiniones totius alicujus Concilii judicio anteferret. Verum cum ejus pertinacia frangi non posset, usque ad perendinum diem ad carceres reductus fuit.

§. CI.